

**B. LITTERAE RESTIUM SIMILITER
PER TERRAS MINORIS POLONIAE MITTENDAE**

Sigismundus Dei gratia Rex Poloniae etc.

Universis et singulis subditis nostris ad bellicam expeditionem de iure, consuetudine et instituto obligatis in terra^a et districtu^b consistentibus fidelis [!] nostris dilectis gratiam nostram. Fideles nostri dilecti! Cum in conventionem generali felicis coronationis nostrae per nos ac universos consiliarios nuntiosque terrarum inter cetera pro defensione regni consulta laudatum decretumque sit, ut et terrarum Minoris Poloniae Russiaeque expeditio communis et descriptio uniuscuiusque regnicolae nostri ad expeditionem bellicam obligati pro quantitate bonorum fieret, licet iam ipsa conscriptio fuerit facta. Tamen quia hostis noster adeo properare animadversus est lacessendi nos moderationem expeditioni et conscriptioni eiusmodi parandi de gratia nostra subditorum expensis impartiti sumus, ut scilicet minore impensa et apparatu tamdiu defensioni insisteretur, donec hostis (quod tamen procul sciat Deus) potentias adventare persentiretur. Verum quia novissime, dum nos itineri versus Magnum Ducatum Litvaniae accingeremur ecce, ab exploratoribus nostris certo didicimus hostem Thurcum et Thartarum dominiis nostris infensissimum, paratum copiosumque in campis iacere iamque anhelare properando nostra dominia depopulatum invadere. Ne itaque respublica universusque populus terrarum Russiae ceteri que hosti continuo obiecti ex hac moderatione conscriptionis hoste praedicto validius contra nostros veniente fraudarentur ad communia arma consurgendum, obviam illi duximus vobis omnibus et singulis suprascriptis strictissime mandantes, quatenus pro die^c cum omni apparatu bellico iuxta totalem descriptionem per palatinum vestrum nuper factam, sub poena capitis et bonorum privatione ad locum^d veniatis et sese illic constituatis ac unusquisque vestrum constituat. Et quorsum necessitas postulaverit ipsum palatinum vestrum et Magnificum Nicolaum de Camyenyecz, palatinum et capitaneum Cracoviensem regnique nostri campiductorem generalem, cui omnem in praemissis dedimus potestatem secuturi et absque omni reverentia obsecuturi, quicquid ea in re vobis mandaverint. Ceterum volumus, ut hasce restium litteras in vim ultimarum scriptas unus ad alium sibi viciniorem sine mora mittat, ultimus vero eas loci capitaneo sub poena ad id de iure instituta repraesentet. Datum uti supra in praemissis.

XV

SEJM WALNY KRAKOWSKI 1508 R.

Po sejmie tym zostały wydane wici:

A. Litterae restium, z 11 maja 1508 r.¹

B. Restes ex Lyublin, z 11 maja 1508 r.²

C. Litterae restium per terras Cracoviensem, Sandomiriensem et Russiae in manus campiductoris missae, z 31 lipca 1508 r.³

^a Pozostawiono puste miejsce. ^b Pozostawiono puste miejsce. ^c Pozostawiono puste miejsce. ^d Pozostawiono puste miejsce.

¹ Tekst ten jest zawarty w MK, t. 24, k. 24, mkrf. AGAD, nr 642 i został skopiowany przez W. Uruszczaka i I. Dwornicką, zaś zweryfikowany filologicznie przez p. Julię Mrukówną.

² Tekst zawarty w MK, t. 24, k. 24 v. (AGAD, mkrf. nr 642) został skopiowany i zweryfikowany, jak poprzedni.

³ Tekst zawarty w MK, t. 24, k. 35 v. (AGAD, mkrf. nr 642) został skopiowany i zweryfikowany, jak poprzedni.

A. LITTERAE RESTIUM

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc. Universis subditis nostris status cuiuslibet et conditionis ad bellicam expeditionem obligatis terrae Sandomiriensis, Lublinensis, Russiae, Podoliae et earum dictarum fidelibus nostris. Innotescimus vobis, quia nobis ad defensionem Ducatus Lithuaniae euntibus et hic agentibus exploratissima novitas est insinuata, quia Thartari potentia magna proficiscuntur terras nostras invasuri. Unde licet magnificum Nicolaum Firley, palatinum Lublinensem cum gentibus nostris in auxilium Lithuaniae direxerimus, sed propter eam regni necessitatem gerentibus eum ab itinere illo [convertimus] mandavimusque sibi in Chelm vobiscum congregari. Idcirco vobis mandamus, quatinus quilibet vestrum mox visis praesentibus provisa securitate sua accingat se, ut versus Chelm die noctuque currat armatus sicut de bonis suis reipublicae debet, die^a ibidem constituturus aliterque facere non ausurus sub poenis ad bellicam expeditionem iure statutis. Volumus tandem, ut praesentes mox unus alteri pro more dirigat, ultimus eas capitaneo loci redditurus. Datum in Lublin, feria quinta post festum sancti Stanislai, in Maio proxima. Anno Domini millesimo quingentesimo octavo [11 V 1508].

B. RESTES EX LYUBLIN

Sigismundus Dei gratia etc. Universis et singulis subditis nostris status et conditionis cuiuslibet existentibus ad bellicam expeditionem obligatis et praesertim terrae Cracoviensis et districtus eiusdem praesentibus requirendis fidelibus nostris dilectis. Innotescimus vobis et unicuique vestrum, quia nobis ad defensionem Magni Ducatus Lithuaniae euntibus hicque agentibus exploratissima novitas est insinuata, quod Thartari magna potentia proficiscuntur terras nostras invasuri. Unde licet magnificum Nicolaum Fyrley, palatinum Lublinensem cum gentibus nostris in auxilium ducatus Lithuaniae direxerimus, sed propter eam regni incumbentem necessitatem convertimus eum ab itinere illa mandavimusque sibi, ut in Chelm veniret, ut, si opus esset, homines penes ipsum tute ad bellum transeuntes congregarentur. Idcirco vobis mandamus districtius, quatinus mox visis praesentibus unusquique vestrum provideat rebus suis domesticis et demum se accingat, ut versus Chelm aut, ubi opus fuerit, prout aliis nostris restium litteris tamquam ultimus informabimus, die noctuque currat armatus, sicut de bonis suis reipublicae tenetur in loca assignanda sine mora constituturus aliterque facere non ausurus sub poenis ad bellicam expeditionem iure statutis. Volumus praeterea, ut praesentes restium litteras unus ad alium sibi viciniorem, ut moris est, transmittat, ultimus vero eas loci capitaneo sub poenis praefatis repraesentet. Datum in Lublyn feria quinta proxima post festum sancti Stanislai, in Maio, anno Domini 1508 [11 V 1508], regni nostri secundo. Relatio ut supra.

**C. LITTERAE RESTIUM PER TARRAS CRACOUIENSEM, SANDOMIRIENSEM ET RUSSIAE
IN MANUS CAMPIDUCTORIS MISSAE.**

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae etc. Universis et singulis subditis nostris status cuiuslibet et conditionis existentibus, in terra Sandomiriensi degentibus, ad expeditionem bellicam serviendam de iure et consuetudine obligatis sincere et fidelibus nostris dilectis. Cupientes, ut sub absentia nostra a turbatione atque a quovis periculo regnum tutum esset, officialibus nostris et regni nostri praecepimus, ut quam diligentissime per fideles ac discretos exploratores de hostium proposito indagarentur et ubi quid de insidiante regno hoste cognoscerent, campiductori protinus revelarent, ut ipse sine ulla mora periculo etiam per motionem terrae provideret. Cum autem id certum est, seu ab exploratoribus informamur, quod hostes regnum invadere conantur et more solito illud periclitari et vastari, statuimus his litteris restium

^a *Pozostawiono wolne miejsce.*

terras ad defensionem commitendas et movendas, ne per negligentiam enormia dampna regno accidant. Quapropter vobis omnibus et seorsum cuilibet vestrum mandamus severe praecipientes, ut non expectatis aliis restibus, sed his tamquam ultimis admoniti versus^a vos conferatis exindeque vos contra hostem, ubi expedierit et per magnificum Nicolaum de Camyenyecz, palatinum et capitaneum Cracouiensem ac regni campiductorem vobis mandatum fuerit, transeatis, sibi in omnibus bellicis [actibus] non secus ac nobis oboedientiam praestituri. Quod si quis ausum temerario ad locum praefatum et ad diem transire neglexerit, vita et bonis sine ulla clementia omnibus excusationibus proculpulsis privabitur. Ideoque nemo vestrum aliter facere ausurus per gratiam nostram litteras nostras praesentes restium alter alteri, prout fieri consuetum est, mittat, ultimus vero easdem suo capitaneo sub poena, quae bellum negligentibus infligitur, restituat. Datum in castris iuxta Smolensko, inito die ante festum sancti Petri ad vincula [31 VII], anno Domini 1508, regni nostri secundo. Commissio propria Regiae Maiestatis.

^a *Następuje wolne miejsce.*